

per ac læsus fuerit in notabili quantitate ex vi contractus validi: ut si læsionem passus est in venditione, etiam infra dimidium, vel in mutuo accepto, quod inutiliter consumpsit, vel in donatione, donando rem magni valoris sine rationabili causa, vel in quasi contractu repudiando hæreditatem lucrosam, vel acceptando damnosam: vel eligendo deteriori partem: vel denique accipiendæ pecuniæ sibi debitas absque autoritate tutoris, vel curatoris. In his casibus potest uti beneficio restitutionis, licet solutio legitime facta sit; alias jura nullum privilegium minori concederent.

34. Verum ejusmodi beneficio uti non valebit minor, quando contractum prudenter celebravit, esto aliunde patiatur læsionem; ut si equum justo pretio emit, & postea moriatur, quia tunc non ex vi contractus læsus est. Nec, quando contractum in ætate minori celebratum factus, jam major ratificat, vel si juramento confirmavit absque vi, aut dolo. Fructus rei alienatæ a minore contractu gratuito debeat restitui minori sicut ipsa res; secus autem rei alienatæ contractu oneroso, ut vendendo eam justo pretio recepto; quia tunc non censetur læsus in alienatione fructuum, poterat enim eos percipere ex pretio.

35. Inq. 3. Quibus aliis præter minores concedatur hoc restitutionis beneficium? R. Concedi in primis Ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, aliisque locis piis. Deinde reipublicæ, & supremis Principibus quoad bonâ Principatus alienatæ, quia pertinent ad rempublicam. Præterea, juxta aliquos, extenditur ad universitatem studiorum, ad rudes, rusticos, & mulieres. Denique ad milites tempore belli, non quantum ad contractus per se ipsos celebratos, sed quoad prescriptionem, ne progrediatur contra illos.

CAPUT II.

De emptione, & venditione.

Um emptio, & venditio correlativa sint, nequit una sine altera perfici, nec cognosci; ideo de utraque

simul in hoc capite disceptabimus cum D. Thom. 2. 2. q. 77.

PUNCTUM I.

De natura emptionis, & venditionis.

36. Inq. 1. Quid sit emptio, & venditio? R. Quod emptio est *pacitio pretii pro merce*: Venditio autem *pacitio mercis pro pretio*. Utraque vero simul est *contractus in quo de merce pro pretio determinato, & de pretio pro merce determinata paciscitur, duorumque consensu completur*. Nomine mercis intelliguntur omnes res, quæ pecunia æstimari valent, & sunt materia hujus contractus, in qua comprehenduntur omnes actiones, & jura naturalia. Spirituality, aut spirituali annexa nullo modo sunt vendibilia. Nomine autem pretii venit ipsum numisma, quod omnium rerum est pretium. Cum enim olim non esset pecunia, una pro alia re permutabatur; at, adinventæ pecunia, hæc datur in pretium omnium, ac sic valent homines facilius, ac commodius convivere, & quærere necessaria pro nummis, unde loco permutacionum inveniæta fuit emptio, & venditio.

37. Ut validus sit contractus venditionis debet determinari pretium, & merces, vel saltem pretium remitti iudicio certæ personæ, non emptoris; nam si remittatur voluntati emptoris, nulla est venditio. Si autem res vendatur justo pretio, valida est venditio, quando pretium lege taxatum est, secus, si taxatum non sit, nec a contrahentibus determinatum. Hoc explicatur per illas particularis definitionis *pro pretio determinato, pro merce determinata*.

38. Per ultimas autem, *duprumque consensu completur*, innuitur perfici substantialiter hunc contractum consensu contrahentium. Unde esto res non tradatur, si gabella, aut tributum solvendum sit, debetur ab instanti perfectionis substantialis ei, qui tunc erat gabellarius, non illi, qui tempore traditionis est, si forte alius existat. Nisi conventum sit inter contrahentes de scriptura, conficienda, tunc enim ante eam nec contractus perficitur, nec gabella debetur. Idem est

est de omni venditione sub conditione inita.

PUNCTUM II.

Quando rei dominium per venditionem adquiratur?

39. Inq. 1. An statim post venditionem perfectam emptor rei dominium adquirat? R. Quod ante rei traditionem non acquiritur ejus dominium, esto solum sit pretium. Nam *traditionibus, & usucapionibus dominia rerum transferuntur. Instit. de rerum divisione*. Unde si venditor ante rei traditionem alteri secundo eam vendat, & tradat, secundus emptor comparat dominium; quia prior solum habebat jus ad rem, secundus vero jus in re. Quatuor casus excipiuntur ab hac regula. Primus, quando res prius vendita fuit Ecclesiæ, aut civitati, quibus debet dari, esto tradita sit secundo emptori privato, nisi fuerit ei hypothecata. Ex *Leg. final. Cod. de sacros. Eccles.* Secundus, quando prior emptor solverat pretium, secus posterior. Tertius, quando pactum fuerat alteri non tradendi, aut de *clausula constituti*, id est, possidendi rem nomine emptoris. Quartus, quando secundus emptor sciebat priorem venditionem; quo in casu prior emptor potest rem evincere infra annum a die notitiæ fraudis. Idem est, si alteri quamvis ignoranti tradita sit per donationem. Si autem secundus emptor, seu donatarius scienter induxit ad rem sibi vendendam, vel donandam, quocumque tempore poterit a priori emptore evinci.

40. Inq. 2. Cui debeat res duplici emptori successive vendita? R. Quod si nullus emptor solverit pretium, nec alicui eorum fuit tradita, debetur priori, qui, sicut fuit prior tempore, potior est jure, & quia non poterat vendi secundo sine injuria primi, huic unice tradenda est.

41. Inq. 3. An venditione perfecta quoad substantiam, ac re tradita emptori, adquirat hic dominium ejus ante pretii solutionem? R. neg. nisi, vel solvat, aut offerat pretium, vel det fidejussorem, aut pignus, vel alio modo satisfaciatur venditori, ita ut pretium pro soluto habeat.

Tom. I.

Unde non secuta utrinque traditione, nempe pretii ex parte emptoris, & rei ex parte venditoris, censetur contractus incompletus integraliter, licet substantialiter completus: idcirco nec transferatur dominium, nec poena, si quæ apponatur emptioni, aut venditioni incurritur; intelligitur enim de actibus per traditionem completis, nisi aliud Legislator expresse decernat.

42. Inq. 4. Cui pereat res vendita, nondum emptori tradita? R. Regulam generalem esse semper domino rem perire; ideo illi perit, apud quem ejus dominium existat. Unde si tradita sit emptori, pretio soluto, aut habito pro soluto, exploratum est apud omnes perire emptori, quia ejus dominium acquisivit. Ante traditionem autem distinctio operis est. Nam potest vendi res indeterminata, aut in genere, vel determinata, & in individuo, ut hic equus, hoc prædium. Rursus, res determinata potest vendi ad corpus, vel ad mensuram. Ad corpus dicitur vendi, quando aliquid determinatum venditur totum unico pretio, ut si vendas tuum prædium mille aureis. Ad mensuram dicitur vendi, quando non totum unico pretio, sed assignato pretio cuilibet mensuræ venditur; ut si vendas horreum tritici assignatis quatuor ducatis pro singulis mensuris.

43. Igitur si res vendita sit in genere, vel in determinata vendatur ad mensuram, perit venditori, quia in utroque casu ejus dominium retinet. Nam venditio indeterminata, vel ad mensuram est sub tacita conditione, *si tradatur, si mensuretur*. Si autem emptor sit in culpa ne res tempore constituto sit dimensa, ipsi perit. Similiter perit emptori res determinate vendita; quia esto jus civile impediat translationem domini, non tamen ejus effectus, nempe quod commoda, & incommoda rei venditæ pertineant ad emptorem. Quare si a Petro emas dolium vini ad corpus, dicens: *Emo tibi hoc dolium tot nummis*, si effundatur, tibi perit. Si vero emas ad mensuram dicendo: *Emo tibi hoc dolium duobus aureis pro singulis mensuris*, si ante mensurationem dispareat, perit venditori. Periculum autem pretii rei indeterminatæ, & venditæ ad mensuram ad emptorem

Bbbbbb

per-

pertinet; ita ut si fiat melior, aut deterior, aut pretium crevit, aut decrevit absque culpa venditoris, commodum, aut incommodum ad emptorem attinet.

PUNCTUM III.

Ad quem pertineant fructus rei venditæ.

44. Inq. 1. Cujus sint fructus rei venditæ antequam pretium solvatur? R. quod fructus pendentes ex plantis tempore venditionis ad emptorem attinent, quia sunt pars rei venditæ, & simul cum ea emuntur. Similiter futuri, si res tradatur, & pretium solvitur, vel habetur pro soluto, ad emptorem spectant, quia acquirit ejus dominium, & res domino fructificat. Eodem modo, si venditor sit in mora rei tradendæ, debet emptori solvere omne damnum emergens, ac lucrum cessans. Difficultas est, quando pretium nec est solum, nec pro soluto habitum, sed emptor promissit solvere statim, vel tali tempore, & non solvit, ad quem tunc fructus rei pertineant?

45. R. pertinere ad emptorem, nisi aliter expresse sit conventum; quia perfectio contractus venditionis, licet emptor non sit dominus rei, tamen juxta æquitatem naturalem debet commodum fructuum sentire, sicut sentit incommodum periculi villoris pretii, quod etiam ad emptorem spectat, ut diximus. Unde licet, si res pereat, domino pereat; nihilominus cum periculum valoris sit penes emptorem, æquitas naturalis deposit, ut ipsi fructificent.

46. Nec valet objicere leges civiles decernentes emptorem, qui fructus rei percipit, debere interesse illorum cum usuris reddere venditori, donec pretium solvat, licet nulla mora solutionis intercesserit. R. enim, quod dum emptor non est in mora solutionis, si venditor peteret fructus rei, esset usura paliata accipiendo fructus supra sortem pro dilatione solutionis. Si hoc disponunt præfatæ leges, correctæ sunt jure canonico. Si autem ob moram solvendi patiatu venditor damnum emergens, aut lucrum cessans, æquum est, ut fructibus vel alio modo compensetur; ac ita verificari va-

let quod, cum re emptor fruatur, æquissimum est cum usuris, utique compensatoriis, pretium dependere, ut habetur in lege. Julianus 13. §. ex vendito. ff. de action. empt.

47. Inq. 2. An contrahentes convenire valeant, ut venditor fruatur fructibus, donec emptor solvat? R. neg. quia tale pactum usura paliata est, cum ob solam dilationem pretii reciperet fructus ultra sortem. Si autem ratione dilationis aliquid damnum subeat venditor, aut lucrum amittat, poterit compensari ex fructibus, vel aliunde, ratione damni emergentis, aut lucri cessantis. Unde usurarius est contractus, in quo quis pecuniam mutuo tradit, ut alius rem ad usum conferat, ut si mille aureos mutus Petro, ut ille tibi domum conferat ad habitandum, relicta utrique facultate repetendi pecuniam, aut domum, quia tunc ex mutuo pecuniæ lucrum acciperet.

48. Dices: possum dare domum Petro, ut ipse mihi fundum largiatur ad usum cum pacto, ut liberum sit utrique rem suam repetere, quando voluerit, ergo similiter potero dare pecunias Paulo sub eodem pacto, ut ille mihi domum donec ad habitandum. R. neg. conseq. Disparitas consistit in eo, quod primus contractus est mutui, secundus permutationis: solum autem pro mutuo, quando pecunia creditur, prohibetur lucrum, non in permutationibus aliarum rerum, quia tradendo unam rem pro alia censetur eam locari, aut vendi, ac sic potest lucrum percipi: pecunia vero locari, aut vendi non valet.

49. Inq. 3. Ad quem pertineant fructus medio tempore percepti, quando contractus venditionis dissolvitur? Ante reservationem nota, quatuor modis posse contractum dissolvi. Primo, si fuit celebratus cum pacto adjectionis in diem, sic, *vendo tibi domum hoc pacto, ut si intra annum melior mihi occurrat conditio, domus sit inempta.* Vel cum pacto legis commissoriæ sic: *Vendo tibi domum, ut intra annum pretium solvas, alioquin nullus erit contractus.* Uterque autem iste contractus potest celebrari, vel verbis directis, ut in exemplis appositis, vel indirectis experimentibus contractum irritandum esse in posterum, si non solvas ia-

tra

tra annum, vel melior occurrat occasio. Secundo, potest dissolvi contractus, si celebretur cum pacto retro vendendi, ut *do tibi pecunias, ut mihi domum vendas eo pacto, ut quoties pecunias reddas, iterum domum tibi vendam.* Tertio, si mutuo consensu post annum rescindatur contractus. Quarto, si contractus sit conditionatus, & conditio non impleatur. Quibus præmissis:

50. R. 1. quod si contractus venditionis fuit celebratus verbis directis cum pacto adjectionis in diem, aut legis commissariæ, ipso facto est nullus: ideoque fructus medii temporis pertinent ad venditorem, quia sic se habet talis venditio, ac si nunquam extitisset. Si autem verbis obliquis, aut indirectis celebratur, fructus ad emptorem attinent: quia in hoc casu venditio est valida, & solum ex tempore, quo melior occurrat occasio, aut pretium non solvatur, rescinditur. Pariter, si cum pacto retrovenditionis conventio dissolvatur, fructus medii a tempore venditionis usque ad redemptionem pertinent ad emptorem. Qui vero ex tempore retrovenditionis colligantur, sunt primi venditoris. Ratio utriusque est, quia res domino fructificat: sed a tempore venditionis usque ad redemptionem emptor est dominus, & deinceps primus venditor, ergo eadem ratione fructus medii ad emptorem spectant, quando mutuo consensu venditio dissolvitur: quia contractus ante dissolutionem erat validus, & emptor dominus rei, proindeque ipsi fructificat.

51. R. 2. Quod si venditio fuit celebrata sub conditione, distinguendum est. Vel enim conditio est casualis, vel potestativa. Conditio casualis est, quæ non pendet a voluntate contrahentium, ut si naves ex India hoc anno venerint. Potestativa dicitur, quæ est in potestate contrahentium, ut si hoc, vel illud dederis, aut feceris. Igitur si conditio, quæcumque illa sit, non impleatur, fructus medii pertinent ad venditorem: quia venditio fuit nulla. Si vero impleatur conditio casualis, fructus pertinent ad emptorem, quia retrotrahitur contractus ad diem venditionis, & ex illo die reputatur emptor dominus rei. Si autem impleatur conditio potestativa, non retro-

trahitur contractus, ideoque fructus attinent ad venditorem: hæc quippe conditio potestativa adjicitur a venditore ad movendum emptorem, ut celerius contractum adimpleat. Verum præcipua horum ratio est voluntas contrahentium, qui hoc modo, & non aliter intendunt se mutuo obligare.

PUNCTUM IV.

De personis, qua vendere, aut emere jure possunt, & quæ sint res venales.

52. Inq. 1. Qui vendere, & emere valeant? R. esse generalem regulam, omnes qui habiles sunt ad contractus celebrandos, vendere, & emere jure posse. Ceterum esto aliqui absolute contrahere valeant, prohibentur tamen a jure positivo quædam pro libito vendere, aut emere. Nam, ut supra diximus, executores testamentorum, medici, advocati, tutores, curatores nequeunt emere, aut vendere res defuncti, infirmi, clientis, pupilli, aut minoris. Item monachi sine consensu Prælati, ac communitalis, pupilli, ac minores sine autoritate tutoris, & curatoris, item prodigi declarati absque interventione Judicis emere, aut vendere non possunt. Præterea, Judices, aut eorum ministri in loco suæ jurisdictionis prohibentur emere, nisi necessaria ad usum quotidianum. Denique in Regno Castellæ omnibus his sub gravi pœna interdicitur emere quidquam cibi, frumenti, aut alterius rei ad usum, & domesticam suppellectilem spectans a suis clientibus. Negotiatores, aut revenditores non debent emere, nisi postquam cives, aut vicini sibi de necessariis providerint.

53. Inq. 2. An quis cogi possit ad rem suam vendendam? R. quod regulariter non potest; quia de re aliena nullus quit disponere absque libero consensu domini. Valer tamen ex justa causa a potestate publica subditus cogi ad suæ rei venditionem, ut si domus, aut prædium sit necessarium ad viam publicam, vel monasterium, aut hospitale, vel quidquam aliud bono communi utile faciendum. Similiter possunt, ac debent subditi compelli ad vendendum triticum, &

ne

ne alii emant superfluum, ne ceteris deficiat.

54. Inq. 3. Quæ res vendi possint? R. posse vendi omnia, quæ pretio æstimantur, & quorum quis habet dominium, & liberam administrationem, nam in venditione, & emptione transferuntur dominia: ergo illa, quorum quis habet dominium, & administrationem vendi, ac emi jure valent. Possunt itaque vendi omnia pretio æstimabilia, atque etiam omnia præsentia, & futura, licet donari nequeant, ne donator maneant intestatus; per hoc autem quod omnia vendat, non manet intestatus, cum testari possit de pretio, quod pro illis accepit. Potest etiam hæres vendere totam hæreditatem liberam, vel ejus partem, post mortem testatoris: non antea, ne detur occasio machinandi illius mortem. Nisi testator consentiat, quo in casu valida, & licita est venditio. Testatore autem vivente, & inscio venditionis, hac secuta, venditor privatur hæreditate post sententiam declaratoriam criminis. Bona publica, ut forum, plateæ, viæ, solum vendi queant a Principe, vel publica potestate. Bona spiritualia, vel spiritualibus annexa vendi nequeunt; alias fœdissima simonia committitur.

55. Inq. 4. An ea, quæ alienis pecuniis emuntur, fiant emptoris, aut domini pecuniæ? R. aliquando fieri emptoris, ut dum hic suo nomine emit nulla lege obsistente, ut colligitur ex *Cod. lib. 4. tit. 50. Si quis. §. 8. Si aliena pecunia, & alibi*. Aliquando vero fiunt domini pecuniæ, ut dum bona emuntur pecuniis Ecclesiæ, pupilli, minoris, aut militis, quæ transeunt in dominium illius, cujus sunt pecuniæ, quia leges ita disponunt.

56. Inq. 5. An venditio rei alienæ sit valida? R. validam esse quoad translationem pretii, seu pecuniæ in venditorem, non vero quoad translationem domini rei in emptorem. Ratio primi est, quia jura validam censent talem venditionem; sed non quoad translationem domini rei in emptorem, ut statim patebit, ergo quoad translationem domini pecuniæ in venditorem. Ratio secundi est, quia nullus valet transferre in alterum dominium, quod non habet; sed ven-

ditor rei alienæ non habet ejus dominium, ergo invalida est venditio quoad hanc partem. Unde fur tibi rem alienam vendens dominium tuæ pecuniæ acquirit, sed tenetur eam reddere, ac damna tibi inde evenientia restituere, nisi tu sciens, & volens rem alienam emeris; quia scienti, & volenti non fit injuria. Vendens bona fide rem alienam, solum id, in quo factus est ditior, reddere debet, ut supra diximus in tract. de restit.

57. Inq. 6. An sit licitum vendere res, quæ ad pravum usum deservire possunt? Ante responsum nota, quædam esse natura sua determinata ad malum, ut maleficia, libelli famosi, & similia, quæ solum ad malum usum deservire possunt. Alia autem sunt ex se indifferentia, quæ ad bonum, vel malum usum applicari valent, ut fucus muliebris, venenum, chartæ lussoria, aleæ, idolum, locatio domus, & id genus alia, igitur:

58. R. res primi generis nullatenus vendi licite posse, est enim cooperari alterius peccato, cum solum malum usum habere valeant. Venditio vero valida est propter rationem supra expositam. Cæterum circa alias res, quæ ex se possunt habere bonum usum, & solum ex malitia alterius habent malum, ex circumstantiis pendet, quod licita, aut illicita evadat earum venditio. Si prævideas emptorem ad pravum usum eas querere, debes a venditione abstinere, nisi raro, & urgente necessitate. Si hoc ignores, vel dubites, aut præsumas ad usum bonum eas petere, licite vendere vales, quia ipsæ res malæ non sunt, & potest emptor bene eis uti. Si autem eis male utatur, præter intentionem venditoris est.

59. Exemplis doctrina illustratur. Prævidens fucus muliebris emi ad mentendam pulchritudinem, vel idolum ad adorandum, venenum ad homicidium, chartas lussorias, taxillos, aut aleas ad ludos vetros, vel perniciosos, agnum ad sacrificandum, domum, aut vestes, vel quid simile ad meretricium, vendere æquequit, nisi ad aliud istorum metu mortis cogatur. At fucus ad occultandam aliquam deformitatem, venenum ad medicinam, chartas lussorias, taxillos, & alia ad honestam recreationem, idolum ad or-

or-

ornatum, agnum ad edendum, domum ad habitandum, etiam meretrici, gravi causa cogente, aut vestes non meretricias vendi possunt, juxta dicta in materia de scandalo, ubi alia de venditione licita, aut illicita resolvuntur. Probabilis vendibilis non est, nec materia venditionis. Hoc dicimus obiter, ne tempus teramus in questione ridicula, quam quidam Neothericus excitat: *utrum Probabilis sit materia venditionis.*

PUNCTUM V.
De negotiatione.

60. Inq. 1. Quid, & quotuplex sit negotiatio? R. esse triplicem. Prima est, qua necessarium emitur, & superfluum venditur. Hæc omnibus est licita. Non enim propria negotiatio est, sed laudabilis administratio juxta illud *Prover. ult. Vidit, quia bona est negotiatio ejus.* Secunda est, qua aliquid emitur, ut per artem, & industriam melioratum carius vendatur: ut emens argentum, vel stannum, ut inde vasa conficiat, & vendat; aut animalia, ut postea saginata carius vendantur. Et neque ista alicui prohibetur, ut inquit D. Thom. 2. 2. q. 77. art. 4. Tertia est negotiatio rigorosa, & propria mercatorum, *qua rem aliquam comparamus, ut integram, & non mutatam vendendo lucrurum.* Idem est, si una res pro alia permutetur ob lucrum acquirendum.

61. Inq. 2. An negotiatio propria sit intrinsece mala? R. neg. quia licet speciem turpitudinis præferat, ex sua natura est indifferens, ita ut ex fine, ob quem exercetur, potest esse bona, vel mala. Unde potest fieri cum peccato mortali, vel cum peccato veniali, vel absque peccato cum merito. Fiet cum peccato mortali, si in lucro ultimos finis constituatur, vel cum perjuris, injustis, aut fraudibus exerceatur. Cum peccato veniali, si propter lucrum præcise negotiatur quis, paratus tamen omnia præmittere potius, quam legem divinam graviter violare. Fiet absque peccato, imo cum merito, si, ut suæ necessitati, aut familiæ provideat, vel ut respublica mercibus abundet, exerceatur. Propter

hos fines licitum est sæcularibus per negotiationem lucrum querere, illudque accipere, utpote debitum ob industriam, intra latitudinem justii pretii. Sed quia frequenter negotiatio perjuris, fraudibus, & injustitiis admiscetur, improbat a SS. PP. adeo utasserant, quod nullus Christianus debet esse mercator, ut inquit D. Thom. loc. cit.

62. Inq. 3. Quibus sit prohibita negotiatio propria? R. esse interdictam sub gravibus poenis omnibus religiosis, & clericis in sacris constitutis, & beneficiis, licet sacris initiati non sint. Constat ex cap. *Consequens. 88.* & alibi sæpe in jure canonico. Poenæ autem dictis negotiatoribus impositæ sunt excommunicatio, & suspensio ferenda, & amissio immunitatis a tributis, si tæ admooiti non respiciant. Deinde poenas negotiatoribus clericis in jure assignatas innovavit Trident. Synod. sess. 2. cap. 1. Præterea Benedictus XIV. easdem extendit ad clericos, sive per se, sive per alios negotiationem exerceant Constit. incipiente *Apostolicæ servitutis*, edita 25. Februarii anno 1741. Denique Clemens XIII. in sua Enciclica 17. Septembris 1759. directâ ad Patriarcas, Archiepiscopos, & Episcopos, ut mentem, & spiritum Bætiæ suos respective subditos in hac materia negotiationis observare accurate compellant, præsertim declarat, cambium activum esse actum negotiationis propriæ, omnibus Ecclesiasticis vetitum, sive per se, sive per interpositam personam illud exerceant. Vide Bened. XIV. in *Syn. Diacon. lib. 2. cap. 6.*

63. Inq. 4. An clericus, qui semel, aut iterum negotiatur, graviter peccet? R. quod secluso scandalo, vel nisi negotiatio sit nimis turpis, aut in magna quantitate, non committit peccatum grave: quia jura locuntur de clerico exerceente negotiationem; qui vero raro negotiatur, non dicitur eam exercere: quidquid alii dicant in oppositum. Unde, qui semel, aut iterum libros, cruces, aut similia occulte emerit, ut carius venderet, grave peccatum non committeret. Nec similiter peccat graviter clericus secularis, qui nec sacris initiatus, nec beneficiarius est; quia in prohibitione juris non comprehenduntur nisi beneficia-

rii, aut in sacris constituti, ac religiosi omnes.

64. Inq. 5. An liceat clericis negotiari ob urgentem necessitatem, cui aliter occurrere non valet? R. affirmative: quia leges ecclesiasticæ non obligant, occurrente necessitate, ut patet in lege jejunii, & aliis. An vero necessitas sit sufficiens, ab Ordinario declarandum est, ut decernit Clemens XIII. in laudata epistola.

65. Inq. 6. An omnis negotiatio etiam non propria, & rigorosa sit prohibita clericis? R. negative; sed solum illa, qua aliquid vilius emitur, ut carius vendatur animo lucrandi. Unde potest clericus infimo pretio emere triticum, vel aliquid aliud ad vendendum amicis, vel aliis postea eodem pretio: tunc enim non intendit sibi lucrum, sed amicis beneficium. Potest etiam clericus peritus in aliqua arte decenti emere materiam suis opificiis idoneam ad conficienda horologia, aut alia artefacta, sive colores ad pingendum, ut otium vitet, sibi, suisve consanguineis indigentibus pretium eorum tribuat ad exemplum Apostoli, qui artem scenofactoriam ad se, suosque ministros alendos exercebat. Potest similiter habere greges, ut lac, lanam, ac factus vendens sibi suisque provideat. Non tamen valet alienos greges ad hoc conducere; neque ex lana proprii gregis pannum per operarios texere ad vendendum, neque jumenta emere ad ea cum lucro locanda, quia hæc, & similia decent statum clericalem, vetanturque in jure canonico. Vide alia in hac materia clericis licita, vel illicita apud Fagnanum in cap. 1. *Multa. Ne cler. vel monac. lib. 3. Decretal.*

PUNCTUM VI.

Alia dubia circa negotiationem.

66. Inq. 1. An aliquando negotiatio sit omnibus illicita? R. affirmative: *Primo* enim potest vitari ratione finis, ut si fiat propter solum lucrum; quo modo erit veniale. *Secundo*, ratione materiæ, si hæc vendibilis non sit, ut res sacræ, aut prohibeatur aliqua lege, ut frumentum non vendatur extra regnum. Sic etiam il-

licitum graviter est vendere vasa sacra integra, sive fidelibus, sive infidelibus, secus jam fracta, ita ut formam amisserint. *Tertio*, ratione temporis, puta si fiat diebus festis, nisi consuetudo in nudinis excuset. *Quarta*, ratione loci, ut si fiat publice in loco sacro, quo pacto erit lethale; secreto autem vendere ibi aliquem librum, seu quid simile, ad sumum erit veniale.

67. Inq. 2. An sit cuilibet licitum emere magnam copiam mercium, antequam cæteri sibi necessaria emant? R. negative: quia per talem emptionem impediunt, ne reliqui sibi provideant, & faciunt pretia rerum nimis crescere. Unde præjudicant reipublicæ. Postquam autem cives sibi necessaria emerint, quilibet potest magnam copiam emere, ut minutim deinde cum moderato lucro vendat, quia ex hoc non incommodum, sed potius commodum reipublicæ obvenit. Prætores tamen debent ordinare, ne hujusmodi mercatores præveniunt cives paratos ad emendum, assignando horam emendi revenditoribus, vulgo, *à las regatonas*, pretiumque præscribere, ne plus nimio illud augeant.

68. Inq. 3. An negotiatores ex officio possint licite vendere merces carius quam alii, qui mercatores non sunt? R. affirmative: quia tales mercatores utiles sunt, ac necessarii reipublicæ, nec tenentur gratis ei providere: ideo res in manu mercatoris plus valet, quam in manu alterius; debent tamen justo pretio currente vendere, quin eis proficiat, quod carius emerint, aut plures fecerint expensas, quia mercatura facturæ, & lucro exposita est, & si hodie amittunt, cras lucrabuntur: imo eodem die quod in uno deperdunt, in aliis forte lucrantur. D. Th. 2. 2. q. 77. a. 4. in corp.

69. Inq. 4. An liceat vilius emere frumentum ad carius vendendum? R. Communem sententiam reprobare talem negotiationem. *Primo*, quia jure naturæ repugnat; infert enim reipublicæ, ac pauperibus notabile dispendium. Isti namque negotiatores regulariter alios præveniunt, magnam copiam congerunt, horrea implent, ex quo pauperes carius postea ab illis emere coguntur. Unde reipublicæ locustæ, & pauperum oppressores merito apel-

appellantur. *Secundo*, quia venita est tam jure canonico, quam peculiari ejusdemque fere Regni, & præcipue legibus Castellæ leg. 19. tit. 11. lib. 5. *Recopilat.* Sed heu! hac misera tempestate Castellæ Magistratus compulsi sunt has leges, alias justissimas, suspendere. Utinam suspendatur avaritia, quæ ad eam suspensionem eos compellit! Annotamen 1790, quo quarta hæc editio prælo datur, Julio mense lux orta est pauperibus, clausaque est janua feneratoribus; Rex enim piissimus Carolus IV. justitiæ zelo contra has locustas, & misericordia in pauperes motus, permissionem anno 1765. factam, revocavit, sub gravissimis penis præcipiens supradictæ legis Castellæ observantiam. In Hispania ergo illicita graviter est negotiatio proprie talis super hujusmodi fructus in eodem regno collectos. Nec ipsi agricolæ pecuniam possunt accipere anticipatam in specie tritici solvendam, ut prudenter hac eadem schedula Rex Catholicus disponit ad vitandas fraudes hominum, qui sanguisuga pauperum dicuntur, similesque contractus irritos, nulliusque valoris esse declarat.

PUNCTUM VII.

De monopolio.

70. Inq. 1. Quid, & quotuplex sit monopolium? R. quod monopolium græce, latine est *plurimum in unum mutua conventio*: quando nimirum plures conveniunt de re aliqua non vendenda, aut non emenda nisi tali pretio. Tunc enim ratione conspirationis omnes se habent, ut unus venditor, aut unus emptor, & datur monopolium, quod unius venditionem sonat. Quatuor præcipue assignantur monopolia, ad quæ alia reducuntur. *Primum*, quando unus, vel plures merces coemunt, ut inducta inopia, cæteri cogantur ab eis carius emere. Hoc monopolium improbatum ab omnibus. *Secundum*, quando unus a Principe obtinet privilegium, vi cuius ipse solus tales merces vendere valeat. Hoc justa causa licitum est, dommodo in rebus vitæ necessariis pretium a Principe taxetur.

71. *Tertium*, quando aliqui impediunt, ne merces extræ in oppidum invehan-

tur, ut ipsi suas carius vendant. Hoc particularibus est illicitum ob notabile dispendium reipublicæ ex eo proveniens. Senatoribus autem, seu Prætoribus licet impedire introductionem mercium exterarum, ne vilescant propriæ, vel ut istæ congrue prius vendantur, prout expediens sit bono communi, non alicujus particularis. *Quartum*, quando mercatores conspirant merces tali pretio, & non minori esse vendendas; vel e contra, emptores conveniunt in opposita conspiratione tanti, & non pluris merces emendi. Hoc monopolium apud omnes est illicitum, & contra caritatem, imo & contra justitiam, semper ac venditores excedant supremum pretium, ac emptores saltem infimum non attingant. Difficultas est, an sit contra justitiam, quando fit intra latitudinem justi pretii?

72. Respondent aliqui, et nos cum illis in editione Romana, quod, secluse vi, fraude, aut dolo, tale monopolium non est contra justitiam; sed re maturius considerata, contrarium est dicendum in odium hominum perditorum; injustum enim est privare cives jure libero quod habent in emptionibus, & venditionibus, in quibus, omnibus licet emere res infimo, vel medio pretio, ergo monopolium, qui suis conventionibus privant eos hoc jure, cogendo ad emendum pretio supremo, justitiam violant, & ad restitutionem tenentur. Præterquam quod, hoc pretium, quod vocatur justum, & supremum in casu penuriz a monopolis causatur, est sine dubio excedens, & injustum, sine eorum enim fraude, abundantia mercium eas vilesceret, & viles factæ, haberent pro pretio supremo, quod in alia hypotesi vix attingit mensuram infimi, & in praxi fere inseparabilis est fraus ab his conventionibus, experientia teste.

73. Et ex doctrinæ paritate, idem dicimus de eo, qui solis precibus efficit, ne copia mercium in civitatem adveniat, ut ipse suas commodius vendere valeat. Verè quidem non capio, quomodo Scoliator Cuniliati admittens injustitiam in primo casu, eam negat in secundo; cum utrobique priventur cives jure vilis emendi. Hæc reipublicæ pestis, hoc vaferimum hominum genus est, de quibus scribit

S. Raymundus L. 2. tit. de usuris §. 5. illos credo tamquam nefandas belluas detestandos, qui ea intentione emunt, aureos, vel alias monetas, vel res venales, & præcipue vitualia, ut de talibus caritiam inducant.

74. Ad hoc genus monopolii illiciti reductantur alia, ut quando artifices mutuo paciscuntur, ne opus ab aliquo inceptum, alter perficiat, ne suas operas locent nisi tali pretio, quibus est aliud affine monopolium iniustum spargendi rumorem summersionis navium. Hæc & similia in reipublica, & civium detrimentum cedere nemo ambigit, ac per consequens justitiam violant.

75. An semel constituto pretio ex monopolio innocens illius originis, qui suas merces vendit pretio currenti, peccet contra justitiam? Resp. quod si merces ob monopolium rarefacte sunt, potest absque culpa, qui monopolii particeps non fuit eas pretio supremo vendere: Si enim precise a monopolio poterat pretio supremo vendere, quid mali fecit, qui monopolii particeps non fuit, ut suo jure privetur? Nec contrarium probat, licet dicat, Eruditus Patuci. Illicitum reputamus unum monopolium alio monopolio via compensationis repellere, sed adeundus est iudex, ut opportune de remedio provideat, est enim moraliter impossibile, ut equitas inter damna illata, & recepta servetur, si private auctoritati remittatur.

PUNCTUM VIII.

De pacto retrovendendi.

76. Inq. 1. Quot modis fieri potest pactum retrovendendi? R. posse fieri tripliciter: nempe, vel in favorem venditoris, vel in favorem emptoris, vel in favorem utriusque. Tunc fit in favorem venditoris, quando onus apponitur emptori: ut vendo tibi hunc librum sub conditione, ut statuto tempore illum mihi revendas. Fit vero in favorem emptoris, quando onus imponitur venditori. Ut emo a te agrum sub pacto, ut tempore a me assignato illum a me redimas. Tunc denique fit in favorem utriusque, quando utriusque relinquitur facultas resiliendi a con-

tractu, vel illum rescindendi.

77. Inq. 2. An præfatus contractus sit licitus? R. quod initus in favorem venditoris licitus est debitis conditionibus. Patet ex cap. 21. Levit. ubi Dominus præcepit, quod omnes terræ populi Israel venderentur sub conditione redemptionis. Ratio etiam id ipsum sanctet: quia onus venditori impositum compensari valet pretii diminutione. Ceterum cum contractus initus in favorem emptoris vix denudari possit ab usuræ labe, ideo tale pactum illicitum reputatur. Pone Petrum a me emere agrum mille aureis cum pacto, ut quando ipsi placuerit, ego eum illi redimam eodem pretio. Colligit ipse fructus ex agro, ac deinde vult pretium agrum, quod quidem est usura palliata; volens fructus agrum pro mutuo mille aureorum. Similiter esto contractus initus in favorem utriusque ex se licitus sit, vix tamen permitti debet ob periculum larvæ usuræ in eo imbibitæ.

78. Prima igitur conditio, ut iustus sit talis conventio, est, quod fiat animo sincero vendendi, aut emendi seclusa omni usura palliata. Usura palliata dicitur, quando sub alio contractu celebratur, ut dum usurarius emit a te domum centum aureis, ut post unum, aut duos annos tanti redimas. Interim tibi, aut alius eam locat quinquaginta aureis. En ad lucrandos quinquaginta dedit centum mutuos, in quo usuram palliatam commisit.

79. Secunda est, ut servetur justum pretium habita ratione gravaminis: quoniam res, quæ in se valet viginti, addito gravamine venditori, plus valet, addito vero emptori, minus. Idcirco tantum pretii augeri, aut minui debet, quantum æstimatur gravamen adjectum arbitrio prudentium.

80. Tertia est, quod res vendatur pretio currenti tempore retrovenditionis. Unde iniustum foret pactum retrovendendi eodem pretio, quo res empta fuit. Quia res empta pacto retrovendendi minus valet, quam si venderetur absque pacto.

81. Quarta conditio est, quod periculum, aut commodum rei venditæ sit penes emptorem, sicut fructus ejus peritineat ad ipsum. Quinta denique, quod servetur identitas rei venditæ: ita ut si

va-

vacua vendatur, vacua revendatur, aut si cum fructibus ematur, cum fructibus redimatur. Unde si vendita cum pacto enuntiato alteri tertio vendatur, potest recuperari a quocumque possessore, & secundus venditor, utpote iniustus, debet priori compensare damna, si quæ perpessus sit.

82. Inq. 3. Quid, & an sit licitus retractus gentilitius? R. quod retractus gentilitius est jus concessum consanguineis proximioribus venditoris recuperandi intra annum, & diem bona immobilia ab ipso extraneis, seu cognatis remotioribus vendita. Hoc licitum est reddendo pretium emptori; ita quippe familiarum conservationi providetur. Si huic juri cedat propinquior, aut negligens sit in recuperatione, succedit proximior, & sic de cæteris. Consulatur tamen leges cujuscumque Regni.

83. Inq. 4. Quid sit contractus mohatra? R. quod mohatra dicitur, quando indigena pecunia emit a mercatore, seu ab artifice, credita solutione, in pretio summo, puta centum, deinde eadem eas vendit, pecunia numerata, pretio infimo v. g. octoginta. Vel ab artifice emit, credita pecunia, vas argenteum, habita ratione laboris, & industriæ, vulgo con las hechuras, deinde eidem illud vendit sublata ratione laboris, numerata pecunia, qua indiget. Queritur ergo, an hic contractus sit licitus, an usurarius?

84. R. 1. Quod, si fiat cum pacto implicito, vel explicite retrovendendi respectu ejusdem mercatoris, est omnino reprobatus ut feneratorius ab Innocentio XI. propos. 40. quæ dicebat: Contractus mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem persone, & cum pacto retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri. Falsitas hujus propositionis constat: quia talis contractus est usurarius includens mutuum virtuale, ex quo intendit lucrum, vendens pretio summo, & obligans emptorem ad revendum in infimo.

85. R. 2. Quod si fiat absque ullo pacto explicite, aut implicito retrovendendi, non est contra justitiam: quia nec venditor vendit ultra supremum, nec emptor emit infra infimum pretium. Cæte-

Tom. I.

rum, quia vix fieri valet absque scandalo, non est permittendum hujusmodi contractus; ideoque interdicitur a legibus fere omnis Regni, & præcipue Castellæ leg. 21. tit. 4. & leg. 22. tit. 15. lib. 5. Nov. collect.

PUNCTUM IX.

De commissario, seu internuntio venditoris, aut emptoris.

86. Inq. 1. An qui merces vendendas a domino suscipiunt, si plures vendant, quam fuit ab eo designatum, retinere sibi excessum valeant? R. sub distinctione: vel enim commissarius est famulus, seu conductus ut famulus, vel non; si primum, debet totum pretium justum domino reddere: tum quia isti ratione famulatus, & conductus tenentur omnem diligentiam adhibere, recipiunt enim mercedem suo ministerio congruam; tum etiam, quia non vendunt nomine proprio, sed committentis: ergo huic debetur totum pretium. Idem dicunt aliqui de amico suscipiente negotium ob amicitiam obeundum, se enim obstrinxit illud fideliter perficere; alias amicitiam venalem turpiter efficeret. Debet tamen committens negotium solvere omnes expensas ab amico in eo tractando factas; ad has enim supplendas non obligat amicitia.

87. Si secundum, vel commissarius a domino fuit rogatus ad vendendum merces pretio designato, quin ullum stipendium ei tribuat pro suo labore, & tunc censetur utilitates, aut excessum ei relinquare. Item, si ex sua industria melioratas dividat: puta, si jussus vendere in hoc loco, ipse alio transferens, plures vendat, aut minus emat; est enim tunc excessus suæ industriæ fructus. Nisi lucrum reportatum excedat meritum sui laboris, quo in casu non posset retinere totum, sed tantum illud, quod suo labori, aut industriæ respondet. Vel commissarius se sponte obtulit, & tunc totum pretium domino tradere debet, quia nisi tacite, aut expresse excessum condonet, designatio pretii solum inruit, ne res viliori pretio vendatur, ergo actuarium respondet domino, cujus nomine venditio perficitur. Hoc est securum, ca-

Dddd

te-

tera periculis plena, quia revera voluntatis est suscipere mandatum, necessitatis consummare. Et ubi lucrum, aut pecunia intervenit, non gratuitum, sed locatio, aut conductio censetur, ut jura praeveniunt.

88. Idem teneas de emptoribus, qui nomine alterius emunt. Ut si roges Petrum, ut tuo nomine emat equum mille aureis, & ille emat octingentis; debet juxta dicta tibi ducentos tradere, si mille accepit, quia ille emit, ut tui negotii gestor, ac tuo nomine, non suo. Nisi forte aliquam industriam indebitam apposuerit, ob quam excessum illi respondentem a te debet exigere, & te nolente solvere, poterit retinere. Unde non possunt sartores, quibus merces emenda committitur, sibi aliquid retinere, eo quod vilius emerint, aut a labore cessaverint, aut mercator eis condonaverit: haec enim omnia futilia sunt. Tenentur namque domini negotium fideliter agere, & ipsi se sponte offerunt ad emendum, praetextusque condonationis mercatoris fictitius est. Vel enim mercatores plerumque falso ajunt, se minuere pretium, ut alliciant emptores, vel eodem modo diminuerant, si domini loco sartorum ad emendum adirent.

89. Inq. 2. An commissarius, cui praefixum est pretium infimum, aut medium, possit rem sibi emere illo pretio, & postea in supremo intra latitudinem justae vendere, & incrementum retinere? R. quod, inspecto jure naturae, & adhibita omni diligentia morali ad vendendum ultra pretium assignatum, si non inveniatur, potest sibi rem emere, ut, expectata opportuna occasione, pluris vendat, & lucrum retineat; quia non facit injuriam domino, cum diligentiam apposuerit; nec emptori, cum intra latitudinem justae pretii vendiderit, ergo absque injustitia potest lucrum retinere. Jure autem positivo Castellae leg. 14. tit. 12. lib. 5. Nov. col. 1. prohibetur his interventoribus per se, vel per alium rem sibi commissam ad vendendum emere, quia in hoc plures fraudes, ac injustitiae multoties perpetrantur. Post factum autem, si fideliter negotium domini peregit, non est cogendus commissarius ad restituendum, quia, ut diximus, nulli fecit injustitiam; & lex

in illius praesumptione fundatur.

PUNCTUM X.

De justo pretio rerum.

90. Inq. 1. Quotplex sit pretium rerum? R. quod pretium rerum in primis aliud est physicum; aliud politicum. Physicum est, quod respondet rei in esse physico, & ex sua natura secundum se. Politicum est, quod res valet juxta aestimationem moralem, & prout deservit ad usum humanum; ideo, quandoque pluris venditur equus, quam servus. Nunc sermo est, non de pretio physico, sed de politico.

91. Igitur pretium politicum est duplex, nempe legitimum, & vulgare, seu naturale. Legitimum est, quod taxatur a lege, seu a Principe. Et hoc pretium consistit in indivisibili, ita ut nec unius oboli accessio sit licita. Vulgare, seu naturale est, quod juxta rectam rationem justum judicatur, attentis circumstantiis hic, & nunc occurrentibus, & dicitur pretium vulgare, quia est, quod communi hominum aestimatione currit. Hoc autem pretium non consistit in indivisibili, sed per arbitrium hominum variatur. Unde fit, quod eadem res, quae hic viginti aureis juste venditur, alibi viginti duobus juste vendatur.

92. Hinc pretium vulgare subdividitur in infimum, medium, & supremum. Infimum est, infra quod juste res emi non licet. Et in hoc consistit justitia emptoris, nempe, quod non emat infra infimum pretium. Supremum est, supra quod res vendi non licet. Et in hoc justitia venditoris consistit, quod non vendat ultra supremum. Medium est latitudo, quae datur inter unum, & aliud. Haec vero latitudo prudenti arbitrio statuenda est, pensatis omnibus hinc inde occurrentibus. Certum est, quod res vilior minore, pretiosior majorem latitudinem admittit. Unde si res valet decem in medio, infimum erit novem, & supremum undecim. Si autem valeat centum in medio, infimum erit 95, supremum 105, quia prima res, utpote vilior, solum admittit latitudinem duorum, secunda autem, ut pretiosior, admittit decem latitudinis. Quibus

bus suppositis.

93. Dicendum est, quod vendens ultra supremum pretium, aut emens infra infimum, sive per fraudem, sive seclusa fraude, peccant juxta quantitatem materiae, & ad restitutionem tenentur. Conclusio est nota lumine naturali; quia sic vendens, aut emens injustitiae reus est, ergo, etiam si absit fraus, surripit, quod suum non est, & consequenter peccat, & restituere debet. Idem est de illo, qui conveniens cum altero de infimo, qui medio pretio, postea clam accipit supremum, decipiendo alium, vel in pecuniae numeratione, vel alio modo, sive venditor, sive emptor ita se gerat. Quia licet ante conventionem liberum sit illis non consentire venditioni nisi in supremo, aut etiam nisi in infimo; semel tamen facta conventionem, injustum est illam violare, ac accipere, aut subtrahere aliquid extra id, in quo conventum fuit ab utraque parte. Idem teneas de illis, qui fraude, mendaciis, aut perjuriis pertrahunt emptores ad emendum in supremo pretio, aut venditores ad vendendum in infimo; quoniam committunt peccatum tum mendacii, & perjuriis, tum injustitiae, cum quisque habeat jus, ut fraude pertrahatur ad majus pretium solvendum, ad lucrum amittendum, & ad dispendium subeundum. Tenentur igitur restituere quoties, fide adhibita eorum fallacis, damnum revera alteri intulerunt.

94. Objic. Juxta leges civiles non datur actio laeso infra dimidium justae pretii, ergo solum reprobatur emptio, aut venditio, in quibus adest deceptio in medio, seu supra dimidium. R. jus civile minime approbare deceptionem infra dimidium, sed ad vitandas lites negat actionem in foro externo, dum laesio non est saltem in dimidio pretii vulgaris: nam si pretium est taxatum, etiam in foro externo cogetur deceptor infra dimidium ad compensandam deceptionem, vel ad rescindendum contractum.

95. Inq. 2. An si contrahentes ignorant pretium, debeat, cognita veritate, laesio compensari? R. sub distinctione, vel enim scientes se pretium ignorare sponte convenerunt; & tunc nullus tenetur ad compensandam laesionem etiam in dimidio: quia uterque sorti aequali se

committendo contraxit, ac tam damno, quam lucro se exposuit. Si autem bona fide, putando rem tanti valere, contraxerunt, debet laesio resarciri, agnita deceptione; quia ignorantia contrahentis non tollit injustitiam contractus. Unde si rusticus, aut bardus velit tibi vendere gemmam ejus pretium ignorans, debes ei veritatem aperire.

96. Inq. 3. An possit quis vendere rem supra justum pretium communiter assignatum propter detrimentum ex illius privatione ei sequendum? R. quod si damnum est verum, licite valet ita vendere; quia damnum emergens, aut lucrum cessans, dum vere adsunt, pretio aestimantur, vel sunt pretio aestimabilia, ergo ratione eorum etiam res vendenda pluris aestimabilis est, potestque pluris vendi, monendo emptorem de causa ita vendendi, nempe de privatione sui commodi, aut lucri. Quod utique solum potest fieri, quando emptor sollicitat venditorem, ut vendat, quod alias non esset venditurus. Similiter potest res pluris vendi ratione peculiaris affectus veri, & rationabilis, non fictitii, quem venditor erga rem habet, ut si fuit donata a Principe, si sit antiqua, aut legata a parentibus; tunc igitur poterit augeri pretium, moderatum quidem, & non pro libito venditoris. Non autem valet augeri ratione utilitatis, quam res affert ipsi emptori: quia utilitas, aut commodum emptoris, non cadunt sub dominio venditoris.

97. Inq. 4. An res extraordinariae, ut simiae, accipitres, aves indicae, & similia, quae pretium definitum non habeant, quocumque pretio emi, aut vendi pro libito valeant? R. negative, quia etiam enunciatæ merces vendi debent juxta pretium peritorum aestimatione taxandum. Justum autem pretium earum rerum, quae lege, aut communi judicio non habent pretium, est quod prudentum arbitrio, omnibus inspectis, non pro ejuslibet peculiaris libito, judicatur: igitur vendi debent juxta valorem a peritis aestimatum. Verum est, quod si res sit adeo extraordinaria, ut excessivo pretio digna judicaretur, illo vendi juste posset. Hinc apud Jappones, & Aethiopes res apud nos parvi valoris, ut specula, cultra, & simi-

milis magno pretio jure vendi narratur, quia apud illos communiter magni talia estimantur.

98. Inq. 8. An quæ subhastatione publica exponuntur venalia, quocumque pretio emi, aut vendi valeant? R. affirm. quia, seclusa fraude, ad hunc finem a publica potestate exponuntur, ut emi, aut vendi valeant eo pretio, de quo inter partes conventio fiat. Cavendæ tamen sunt accurate fraudes, quæ committi solent in ejusmodi licitationibus. Communiores sunt sequentes: Si venditor celet occultos rei defectus; si fictos aliquos emptores immittat simulantes emere, ut augeant pretium. Si ex industria merces vendendæ proponantur tempore, quo sciunt paucos emptores concurrere, ut amicis favent; si emptores monopolium faciant conspirantes inter se, ne ullus nisi tale pretium offerat; si immittant alios, qui simulate exiguum offerendo statim desinant. Hujusmodi, & similes fraudes vitiant contractum, & ad restitutionem eorum factores obstringunt, quia naturam subhastationis publicæ pervertunt.

PUNCTUM XI.

De pretio naturali, seu vulgari.

99. Inq. 1. Quid sit observandum circa pretium vulgare? R. Quod in primis habenda est ratio temporis, deinde loci ad illud juste designandum. Quia ex tempore, & loco potest mutari pretium vulgare. Unde si res nunc vendatur, habenda est ratio temporis præsentis. Si futura, ut fructus venturi, assignandum est pretium juxta valorem futurum. Hinc vendens triticum mense januarii, tradendum mense Augusti, debet vendere juxta pretium habendum tempore traditionis mense Augusti, alias injustitiam committit. Idem est de loco, debet enim assignari pretium juxta valorem, quem res habet in loco, ubi reperitur; ibi namque habet utilitatem. Ideo habens rem Salmanticæ valens 50. non potest Matriti existens 100. vendere. Nisi forte illuc erat perlaturus, quo in casu posset aliquid amplius pro ea exigere, imo totum pretium, si venditor vellet eam suis expensis illuc asportare.

100. Unde etiam mercatores ex longinquo magnis expensis merces afferentes vendere debent pretio currenti loco venditionis. Nam si absque illis expensis, vel minoribus illuc eas asportassent, eodem pretio currenti illas venderent, erg. suæ fortunæ, aut infortunio tribuant, quod majores, aut minores impensas in asportatione faciant. Si pretium non est determinatum, tunc ratio expensarum, & periculorum haberi potest.

101. Inq. 2. Unde pretium vulgare augeri, vel minui soleat? R. Quod ex diversis capitibus hoc contingere valet. Nam in primis res in manu mercatoris pluris estimatur, quam in manu alterius, qui non ex officio illam vendit. Deinde ex rerum penuria, ex emptorum copia, & pecuniæ abundantia augeri solet pretium. Sicut e contra ementium paucitas, rerum copia, & pecuniæ penuria illud solent minuere. Pariter modus emendi potest variare pretium. Nam minutatim res carius venditur propter incommoda adjuncta hujusmodi venditioni: simul autem mitius venditur; quia simultanea venditio utilior est venditori, citius enim expeditur ad iterum negotiandum.

102. Item si ematur in gratiam venditoris merces ultro offerentis, potest vilis emi id, quo quis non indiget. Si autem vendatur in gratiam emptoris, quod alias non venderes, vel quia tibi utile est, vel quia peculiarem affectum erga rem petitam ab emente habes, vel quia est rara, vel tibi alio rationabili motivo estimabilis, potes vendere carius; quia te abdicare re, quam nolles vendere, est pretio estimabile. Decrescit etiam pretium ex condonatione venditoris; sed hoc raro, & tantum inter cognatos, vel in amicitia strictè conjunctos præsumendum est. Similiter aliqui ajunt decrescere pretium ob necessitatem venditoris; sed minime est admittendum, quia solum necessitas communis valet augere, aut minuere pretium rerum: unde ob necessitatem hujus, vel alterius illud variare injustum omnino est.

103. Inq. 3. An mercator sciens brevi copiam mercium superventuram, ideoque pretium esse minuendum, possit suas vendere pretio currenti? R. affirmative; quia privata notitia non constituit pretia

re-

rerum, sed communis aestimatio, ergo potest quisque eas vendere pretio communis aestimatione currenti. Ita D. Thom. 2. 2. q. 77. a. 3. ad 4. Debet tamen venditor juxta regulas caritatis, non uni soli magnam copiam vendere, sed dividere inter non pauperes, quibus emptio notabile damnum non inferat. Hinc inferitur, scientem ivalorem monetæ esse brevi minuendum, posse absque injustitia juxta præsentem valorem suis pecuniis debita solvere, vel merces emere, seclusa fraude, dolo, aut magno dispendio vendentis.

104. Objic. In dicto casu merces reipsa minus valet, licet ab emptore ignoretur, ergo ab eo, qui valoris conscius est, carius vendi non possunt. R. neg. anteq. quia pretium non minuitur ex privata notitia, sed ex communi estimatione. Objic. 2. Emptor in dicto casu ex errore emit, ergo nulla est emptio. R. neg. conseq. quia error non est circa substantiam, sed circa accidentia extrinseca, qui non irritat contractum. Objic. 3. Sciens merces brevi corrumpendas debet defectum exponere, aut saltem pretium minuere, erg. R. Quod aliud set de intrinseco defectu, aliud de extrinseco. Primum, non secundum, debet ex justitia venditor revelare.

PUNCTUM XII.

De pretio legitimo.

105. Inq. 1. An sit conveniens pretia rerum taxari a Principe, seu legitima potestate? R. affirmative. Ita D. Thom. 1. 2. q. 95. a. 1. ad 2. Quia melius est omnia ordinari lege, quam particularium arbitrio relinquere. Unde observare leges pretia taxantes tenentur omnes, etiam ecclesiastici, & ipsi Legislatores sub gravi, & sub onere restitutionis: quia pretium lege taxatum est pretium verum, & justum; sed observare pretium justum tenentur ex justitia omnes, nullo excepto, ergo sub gravi, & sub onere restitutionis. Nemo autem ambigere jure valet dari apud Principes, & Magistratus potestatem taxandi pretia rerum, quia ipsis incumbit prospicere, & invigilare bono communi. Utinam serio agerent observari!

Tom. I.

106. Inq. 2. Quot modis pretium taxetur? R. Tribus modis posse taxari. Vel in commodum emptoris, vel in commodum venditoris, vel in commodum utriusque. In emptoris commodum fit frequentius, cum versus magnitudinem assignatur pretium, ultra quod non liceat ascendere, esto descendere licitum sit, ut in taxa frumenti, & hoc pretium consistit in indivisibili, solum versus magnitudinem. In gratiam venditoris assignatur, quando ponitur pretium, infra quod non liceat rem vendere, ut in censu redimibili, in quo olim pro uno saltem quatuordecim debebant dari, licet postea triginta ad minus danda fuere assignata. In commodum utriusque assignatur, quando pretium omnino indivisibile constituitur, ut in taxa vini, panis, aut carnis. Verum si venditor pro suo libito velit vilis vendere, optime potest cedere ulteriori pretio; sicut etiam, si emptor velit rem carius, quam taxata est, emere, nulli facit injuriam. Solum quando circumstantiæ notabiliter variantur, debet pretium variari; aliter fideliter observandum est, nisi major pars, sciente, & simulante Principe, cum posset absque incommodo obstare, illud non observet.

107. Inq. 3. An venditor possit cogere emptorem, ut solvat pretium taxatum in tali pecunia? R. negative: Quia hoc onus solvendi pecunia aurea, aut argentea est pretio estimabile supra justum pretium designatum. Potest vero imponere onus emptori tritici, ut ei vendat hordeum, oleum, vinum eodem pretio taxato, quanto sunt ejusdem valoris, ac triticum; secus autem si pluris valeant juxta pretium taxatum, vel juxta vulgare, si taxam non habeant, quia lex prohibens rem pluris vendi, prohibet etiam commutari in rem amplius valentem. Similiter, quando res est inferioris valoris, nequit vendi pretio taxato, sed debet minui pretium, ita ut æquet rei defectum; taxatio enim intelligitur de rebus communem valorem habentibus.

108. Inq. 4. An res notabiliter excedens pretium taxatum possit vendi ultra taxam? R. affirmative, quia ut diximus, taxatio fit de mercibus ejusdem, plus, minusve, conditionis, ergo si res, ut vi-

Eceeee

num,

num, aut triticum, vel quid simile notabiliter excedat in conditione, & valore, potest juxta excessum augeri pretium. Nam sicut res viliores, & deteriores, esto ejusdem speciei, nequeunt vendi pretio taxato, sed minori; ita res optima possunt vendi pretio majori. Possunt similiter tritico optimo, aut alteri frumento puriori misceri alia grana deteriora, ita ut remaneat æquale cum aliis, & sic vendi eodem pretio taxato; sicut eodem potest frumentum optimum pluris vendi, ita valet illa major perfectio ab eo auferri, relinquendo illud in æqualitate cum aliis, ac æquali pretio vendi. Hoc autem in vino, aut aliis liquoribus, quibus aqua admiscetur, nisi ad condimentum vini initio aqua infundi necesse sit, minime est admittendum. Tum quia liquor aqua mixtus semper est deterior, quam purus, nec eosdem effectus causare valet, ac facile corrumpitur; tum etiam, quia aqua pro vino, lacte, vel alio liquore venderetur; tum denique, quia in liquoribus nequit percipi ab emptore admixtio, sicut in frumento. Admiscere autem vino fortiori cito consumendo aliud vinum minus forte injustitia non esset, propter rationem supra expositam. Cavendum tamen est ab his mixtionibus tanquam fraudulentis.

109. Inq. 5. An lex taxativa tritici obliget in annis magnæ sterilitatis? R. Quod, si sit in viridi observantia, obligat ex justitia; quia revera pro annis penuriæ, non pro tempore abundantia imponitur a Magistratibus, perpensis omnibus, quæ hinc inde occurrere valent, ne pretium frumenti sine mensura crescat, & pereant pauperes. Unde licet triticum intrinsicè, & naturaliter, aut alia qualibet res, pluris valeat, dum rarum est; tamen, prout bono communi expedit, justum ejus pretium est illud, quod a Principe præfigitur, ideoque omnes adstringit. Taxato tritico, taxatur etiam farina, & panis coctus, ita ut si faneca tritici valet 28. regales, duæ libræ panis valeant 28. marapetinos, vel assignando pretium panis cocti, consideratis expensis, & moderato lucro, habita ratione pretii frumento designati.

PUNCTUM XIII.
De augmento pretii ob dilatam, aut anticipatam solutionem.

110. Inq. 1. An possit quis vendere carius ob dilatam solutionem? R. 1. Vendere, aut emere rem carius, aut vilius precise ob dilatam, aut anticipatam solutionem esse usuram palliatam; quia hujusmodi expectatio, aut anticipatio pretii habet rationem mutui, ergo accipere, vel minuere aliquid ob eam extra justum pretium, usura est. Non autem erit talis intra latitudinem justii pretii, ut si res valet 20 in supremo, & 16 in infimo, potest vendi 20 ad creditum, & emi 16 anticipata, vel numerata pecunia. Ita omnes cum D. Thom. 2. 2. q. 78. art. 2. ad 7.

111. R. 2. Quod possunt res carius vendi ob dilatam solutionem, si tempore tradendi pretii pluris credantur valitura, & servanda essent a venditore usque ad illud. Vel e contra, vilius emi, anticipata solutione, si res tempore traditionis minus valeant. Quia res utilitatem, & commodum pariunt, dum traduntur. Similiter ratione lucri cessantis, aut damni emergentis valent res carius vendi, ut fufius postea patebit.

112. R. 3. Quod etiam ratione periculi extrinseci amittendi pecuniam ob qualitatem emptoris potest aliquid augeri de pretio usque ad æstimationem assecurationis, dummodo periculum prudens sit, & moneatur emptor; quia tali periculo se exponere, est pretio æstimabile, & ex tali venditione aliquid damnum vere probabile emergit venditori, nempe esse in periculo, & metu bona sua amittendi, ergo potest aliquid pretii ob hæc incommoda recipere. Etiam licet merces simul emptas vendere carius inquantum ob incommodum sic vendi.

113. R. 4. Quod possunt similiter carius vendi, dilata solutione, res pretiosæ, quæ in magna quantitate ad nundinas portantur, vel alia merces, quæ ex Indiis afferuntur: quia pretia non imponentur rebus ex numerata, aut credita pecunia, sed ex communi hominum æstimatione, & ex modo vendendi; in his

au-

autem rebus, de quibus est sermo, jam ex modo vendendi, & communi æstimatione introductum est, ut carius vendantur, pecunia credita, quia ex una parte plures convenienti emptores, dilata solutione, ob quam res crescit in pretio; & ex alia perpauci essent emptores, qui tales merces in ea quantitate emant pecunia præsentem, unde ipsæ villescunt, ergo stat quod sit justum pretium majus pro tali venditione ad creditum, dummodo non excedatur illud, quod communiter credita pecunia solvitur.

114. Inq. 2. An contractus, in quo lanæ anticipata solutione vilius emantur, sit licitus? R. neg. Quia si talis emptio esset licita in lanis, cur non in aliis mercibus, & fructibus? Sed in his ab omnibus improbatum, ergo in omnibus: quia, ut diximus, illa anticipatio pecuniæ habet rationem mutui, ex quo præcise nihil supra sortem accipere licet. Quidam ajunt dari hanc praxim in Hispania: Verum quod sæpius videmus in Hispania, non est emere vilius lanas ob anticipatam solutionem, sed anticipare pecuniam ad emendas lanas secundum valorem, & pretium tempore venditionis, aut traditionis assignandum: vel tanti illas emere pro octo, aut decem annis, exponendo se periculo augmenti, vel decrementi justii pretii; quæ valde differunt ab emptione mitiori ob anticipatam solutionem. Si autem de pretio aliquid minuat, non est ratione solutionis anticipata, sed ratione damni secuti, aut alterius tituli justii: alias illicitum est.

115. Inq. 3. An liceat chirographa, aut alia credita emere minori pretio, quam valeant ob anticipatam solutionem? R. Quod minime sic emi possunt, quando debitum est certum, & facilis solutionis; quia jus ad mille liquidum mille valet: ergo injustum est minoris emere. Si autem debitum non est omnino liquidum, nec facilis solutionis ex communi æstimatione, posset vilius emi, esto emptor nullo incommodo illud recuperaret, quia hoc ejus fortunæ tribuitur, cum ex se difficilis, ac periculis exposita sit recuperatio. Depositariis, aut Regiis ministris nullatenus licet talis emptio mitior. Eadem quippe ratione, qua Princeps, aut

alius debitor sua debita minoris emere nequit, eadem nequeunt ejusdem ministri. Nequissime item isti efficerent, si difficiles se exhibentes in debitorum solutione, amicis suggererent, ut vilius illa emant.

116. Objic. plus valet res, quam actio ad ipsam. R. hoc verum esse quando consecutio rei affert aliquid periculum, incommodum, aut laborem pretio æstimabilem, in casu autem questionis supponimus nihil horum accidere.

PUNCTUM XIV.

De vitiis, aut defectibus rei a venditore, vel emptore patefaciendis.

117. Defectus rei possunt esse intrinsici, aut extrinseci. Intrinsici sunt, qui ipsam rem afficiunt, ut si triticum sit infectum, vinum cito corruptendum, pannum adustum, domus ruinosa, medicamentum evanidum. Extrinseci sunt, qui ab extrinseco rei adveniunt, ut si per legem Principis, aut alia causa in proximo vilius sit valitura. De hujusmodi vitiis extrinsecis, jam superius diximus, non teneri venditorem, aut emptorem ea detegere; quare solum de intrinsicis agimus in præsentem. Quod autem dicitur de venditore, teneas etiam de emptore.

118. Inq. 1. An venditor teneatur manifestare defectus rei vendendæ? R. 1. Quod, si venditor interrogetur ab emptore de defectibus rei; debet eos manifestare, nec valet eam tunc, occultato vitio, etiam minori pretio vendere: alias dolus daret causam contractui, nisi res esset parvi momenti, & quæ adhuc cognita, non retraheret emptores: tunc enim, detracto excessu pretii, poterit illam vendere.

119. R. 2. Quod esto venditor non interrogetur, si res vendenda habeat defectum occultum, ratione cuiusdam damnosa reddatur emptori, tenetur illum manifestare; alias cogitur restituere, tum excessum pretii, si illum accipit, tum damna ex tali venditione emptori secuta: quia contra justitiam est occasionem damni proximo præbere. Ita D. Thom. 2. 2. q. 77. art. 3. Unde vendens rem

no-

noxiam, aut inutilem ad fines emptoris debet defectum manifestare sub onere restitutionis; ut si vendas equum furiosum, domum ruinosam, oves infectas, aut quid simile.

120. Objic. Emptor non tenetur detegere venditori thesaurum latentem in campo, nec herbam medicinalem occultam in fasciculo emendo: ergo R. conc. ant. neg. conseq. quia thesaurus non est pars fundi, nec herba rara pluris valet ad usum, in quem fasciculus venditur, nempe ad pabulum animalium; defectus vero de quibus loquimur, & sunt intrinseci rei, & pugnant cum usibus, ad quos ipsa emitur.

121. Inq. 2. Qui sint defectus rei, ad quos manifestandos tenetur venditor, aut emptor? R. Esse in triplici differentia: nempe, vel circa substantiam, ut si vendas stannum pro argento, vel circa quantitatem, ut si vendas mensura fallaci; vel circa qualitatem, ut si vendas vinum debile pro forti, aut nobili. In primo casu contractus est nullus ob errorem circa substantiam, in aliis, licet sit validus, est injustus, & in omnibus adest obligatio restituendi. Imo licet vitia manifesta nemo teneatur regulariter detegere, dum merces aperte exponuntur; tamen si venditori constaret emptorem ob ejus imperitiam, vel rusticitatem defectum non cognovisse, tenetur in conscientia illum pandere, quia respectu talis emptoris idem est, ac si esset prorsus occultus.

122. Verum si venditor celebrans contractum, habita ratione periculi, vereque ignorans defectum, dicat se nolle teneri ex aliquo defectu occulto, in nullo foro tenetur restituere, quia tunc emptor in se suscipit periculum, quod venditor a se abiecit. At si aliquid vitium noverat, licet dicat se nolle teneri de vitiis occultis, aut vendit v. gr. equum multis vitiis affectum, tenetur in utroque foro ad restituendum; quia illa protestatio fuit fraudulenta, & fraus nemini debet patrocinari, maxime cum praedictio tertiis. Si autem nulli praedictio sequatur ex venditione, nec venditor interrogetur, poterit vendere cum defectu rem, subtracto, seu diminuto pretio juxta proportionem defectus, quin

hunc manifestet, ne emptor plus justo velit subtrahere pro illo, ut docet Angelicus loco laudato. Alias nullus fere mercator posset vendere, si solum optimas merces, aut nulli defectui obnoxias vendere teneretur. Igitur permittendum est mercatoribus, ut vendant etiam merces aliquantulum viliores, dummodo justo pretio, & absque ullius notabili dispendio id peragant.

123. Inq. 3. An venditor possit pro una re aliam aequae, vel fere utilem ad eundem finem, ut unum medicamentum pro alio, quo caret, & dicitur quid pro quo? R. Quod licet non fideliter agat, neque debeat consuli nisi in casu necessitatis; tamen si juxta defectum minuatur pretium, non violat justitiam in venditione; quia esto res physice sit diversa, non tamen moraliter, prout conducit ad finem, ut faciunt quandoque pharmacopola. Sed isti debent certiores facere medicum de carentia medicamenti, ut provideat, quid agendum.

CAPUT III.

De mutuo, & usura.

Quoniam usura ex mutuo profluit, ideo hoc capite illam cum eo conjungimus, acturi prius levi calamo de mutuo, ac deinde fusius de natura usurae cum D. Thom. 2. 2. q. 78.

PUNCTUM I.

De mutuo.

124. Inq. 1. Quid sit mutuum? R. est contractus, in quo traditur res usu consumptibilis quoad dominium, & usum sub obligatione postmodum similem in specie reddendi. Hac definitione explicatur, tum ratio propria mutui, quia, quod meum est, trado, ut fiat tuum, unde Jurisconsulti bene ajunt, in mutuo fieri ex meo tuum; tum distinctio illius a ceteris contractibus. Igitur contractus ponitur loco generis; per reliquas vero particulas discernitur ab omnibus aliis. Nam per illam, in quo res traditur, differt a pactis, quae solo consensu substantiaiter perficiuntur, ut emptio, & venditio, licet ab his etiam

per

per ceteras particulas distinguatur, ut consideranti satis innotescit. Dicitur res usu consumptibilis, quia est proprium mutui, quod versetur circa res usu consumptibiles, vel physice, dum vere consumuntur, aut pereunt, ut vinum, oleum; vel moraliter, dum alienantur, ut pecunia. Additur quoad dominium, & usum, ad differendum mutuum a commodato, conducto, locato, pignorato, & deposito, in quibus non transfertur dominium, sicut in mutuo, de cujus ratione est transferre dominium. Sub obligatione, per quod distinguitur a donatione, & omni pacto mere gratuito. Postmodum similem in specie reddendi; quia non tenetur mutuatarius, nec eandem numero rem, nec statim similem reddere, satisfacit enim similem tempore praestituto, vel aliquot transactis diebus, inspecta natura rei, personae, & usus, ad quem mutuum accipitur fideliter reddendo.

125. Inq. 2. Quot sint obligationes mutuantis, & mutuatarii. R. 1. obligationes mutuantis esse saltem quatuor. 1. monere mutuatarium de vitio rei mutuae, si illud forte habeat. 2. non repetere mutuum ante tempus designatum, vel si non fuit praefixum, saltem expectare aliquot dies arbitrio prudenti. 3. admittere solutionem quandocumque fieri velit a mutuatario, ne gignat suspicionem usurae intentionis. 4. nihil exigere pretio estimabile praeter sortem juxta latius in sequentibus explananda.

126. R. 2. Obligationes mutuatarii esse saltem tres. 1. reddere mutuum tempore assignato, vel quando mutuator prudenter deposcit. 2. restituere damna, si quae ex sua mora culpabili mutuatori secuta sint. 3. reddere tantumdem ejusdem bonitatis juxta similiter infra fusius dicenda.

127. Inq. 3. An dentur aliqui, qui ad mutui solutionem non teneantur? R. affirm. nam quod mutuo traditur alicui opido, Ecclesiae, loco pio, aut minori, seu ejus curatorum, non tenentur restituere, nisi probetur conversum fuisse in eorum utilitatem. Item filii carentes bonis castrensibus, aut quasi castrensibus, quique sui juris non creduntur, eximuntur ab onere reddendi pecunias, quas mutuo acceperunt, per leg. in Cod. ad

Tem. I.

Senat. Consult. Macedonian. Quod justissime sancitum est ad vitanda plurima incommoda ex mutuis traditis filiis familias profuentia. Teneantur tamen filiiolvere mutuo accepta, si habeant bona castrensia, aut quasi castrensia, vel credebantur sui juris tempore acceptionis, vel si acceperunt, quae a patre debebant accipere, vel cum essent in militia tempore belli, vel si intervenit juramentum solvendi. Jure Castellae omnis contractus, etiam juratus, a filiis initus sine patris consensu est irritus ex Leg. 22. tit. 11. lib. 5. nova collect.

PUNCTUM II.

De natura, divisione, ac pravitate usurae.

128. Inq. 1. Quid sit usura? R. est lucrum ex mutuo immediate proveniens. Per lucrum denotatur quodlibet acquisitio rei supra sortem pretio estimabilis, & indebita. Dicitur ex mutuo immediate proveniens, nam si media gratitudine, aut amicitia, vel alio titulo vero, & reali proveniat, non est usura, quia non provenit ex mutuo. Si autem mutues intendens amicitiam, ut medium ad acquirendum lucrum, usuram committit, esto lucrum immediate non proveniat ex mutuo: allud enim est, quod tibi ex gratitudine mutuatarius aliquid tribuat, aut ab illo accipias; aliud quod tu illud intendas. Primum licitum est, secundum non licet. Hinc dicitur crimen istud usura, quia pro usu pecuniae, aut alterius rei aliquid exigitur, aut intenditur pretio estimabile ultra sortem; & licet juxta alias acceptiones possit in bonam partem usurpari nomen usurae pro usu cuiuscumque rei; in praesenti tamen accipitur pro vitio proveniente ex mutuo.

129. Inq. 2. Quotplex sit usura? R. primo dividi in claram, & paliatam, seu formalem, & virtuales. Clara datur, cum aliquid, ut debitum ex justitia, ultra capitale exigitur, ut si mutuant centum exigat sibi reddi centum, & quinque. Paliat adest, quando in aliis contractibus imbibitur, illisque quasi contegitur, ut si vendens equum valoris quinquaginta aureorum, pro dilatione solutionis, aut alio titulo ficto velit sibi dari 54. Secundo

Fiffif